Vindiciæ Horatianæ

sive

De Horatii Carminum I. 1 et I. 20 contra Perlkampium

Disputatio.

Scripsit

JOH. GUST. EK,
Eloqu. et Poës. Prof.

Pro Laurea

Disputaturus Publice Defendet

ANDREAS HEURLIN,
Philos. Cand., Smolandus.

In Auditorio Carolino die XI Juni MDCCCL.

P. I.

Lundæ,
typis Berlingianis,
MDCCCL.

Prodiit Harlemi a. MDCCCXXXIV Carminum Horatianorum recensio Peerlkampii, cujus laudarem doctrinam atque sagacitatem, nisi vituperandus mihi esset, qui, Bentleio ipso audacior, in poëta, quem triginta annos, ut ait ipse, lectitasset, non dico oblitus sit, non esse hanc medicinam, quum sanæ parti corporis scalpellum adhibetur, sed sibi persuaserit, ægra esse, quæ non erant. Id moverat hominem doctissimum, quod intelligendi atque interpretandi multa superesset difficultas, etiamsi et singula vocabula Latina essent neque in MSS magna aliqua adpareret diversitas, ut culpandi librarii Latine nescientes videri possent; et ipse ad intelligendum et suis et aliorum adminiculis accessisset instructissimus; et poëta denique hic non magis, quam optimorum Romanorum ullus, obscuritate sermonis laboraret. Ita quum neque ab auctore neque a legente neque a corruptis per inscitiam librariorum vocabulis proficisci difficultates viderentur, aliam esse causam suspicatus est eamque in versibus spuriis et insiticiis latitare; unoque et altero hinc illinc ejecto quum vidisset tolli, quæ in Horatio nulla esse debebat, obscuritatem, augeri venustatem, lætus primo successu incredibili cum voluptate omnes quinque carminum libros istis sordibus, quas adpellat, coepit purgare. Quod ne quis petulantius ab eo factum existimaret, prohibuit declarans, se editionem diu distulisse,

quod veritus esset, ne, amore inventi abreptus, calido nimis consilio germanos pro spuriis ejecisset, et quod suo unius esset judicio diffisus, qui, ubi ceteri aut plana omnia invenissent aut certe de adsutis Horatio centonibus non cogitassent, saxa ipse et salebras offendisset. Itaque celasse tam audacem sententiam, si forte tempus et ætas meliorem suaderent. Auctum vero animum quum diuturna cogitatione, tum auctoritate MARKLANDI Cantabrigensis, qui in Horatio post omnia, quæ in eum scripta vidisset, *innumera esse, quæ non intelligeret,* confessus esset, addidisselque, hoc se non adeo mirari, *quum hæc obscuritas a posteris invecta fuisset. Horatium* enim, Virgilium, Ciceronis nonnulla, Cæsarem, Livii quædam, Juvenalem in scholis prælectos pueris et in singulis fere monasteriis lectitatos: inde *spurios et ineptos versus in Horatii* et Juvenalis *hexametros* irrepsisse. — Accesserat auctoritas VALCKENAERII ita exclamantis: *Quis nostrum dixerit, quot versus spurii in quibuscumque poëtis veteribus nos ludificentur.* Monuerant præterea non singuli tantum versus huc illuc intrusi, verum integra etiam carmina, alienis nominibus inscripta et poëtis clarioribus supposita; ut Pervigilium Veneris Catullo, Carmen panegyricum de Messala Tibullo, Ciris, Culex, Copa, Moretum Virgilio, aliis alia.

Quæ quum fieri potuissent exstitissentque aliquando, qui æquales, quamvis doctos veterem aliquem poëtam mentiti illusissent, ut Jos. SCALIGERUM MURETUS, pro versibus Q. Trabeæ, comici nobilissimi, suos venditans, potuisse multo magis id quidem fieri, ut unus alterve versus, quem genuinis intermixtum difficilius foret deprehendere, mediæ poëtarum orationi insereretur.

Tum vero per satis tortuosas disputationum salebras, nec tamen sine aliqua veritatis specie progreditur PEERLKAMPIUS, et primam edendi rationem incusans, quum librariorum hæc carmina in unum volumen cogentium alius alio ordine digererent sequerenturque nonnulli tempus,

quo scripta quæque essent, nonnulli argumenti similitudinem, unde natas censet tum binorum in singula carmina colligationes, tum singulorum in bina divisiones, tum denique minus certum et definitum versuum vel numerum vel ordinem; et Horatii tum in scholis lectitandi, tum imitandi non multo post ipsius obitum ortam consuetudinem arguens; quibus rebus id studet probare, non modo interpolandi in singulis versibus multas adfuisse causas, quo planiora fierent, quæ ad intelligentiam tironum non essent satis aperta, sed nova addendi, quæ nomen Horatianum mentita aut animi causa aut lucri, quum bibliopolas tum *βιβλιοφίλους*, auctiora si haberent Horatii exempla gavisuros, ludibrio haberent. Sic jam ante Suetonium (sive quis alius vitas illas confecerit) ferri coeptos elegos et epistolas sub titulo Horatii, quasi Mæcenati se commendantis; quæ falsa esse ille ipse vitarum scriptor suspicatus sit. Majorem etiam accessisse nova addendi causam, quod, discipulos ut exercerent, non modo Grammatici, verum etiam Rhetores argumenta Horatianis similia proponere solerent, quæ, illorum ut fingeretur oratio, aut iisdem metris, aut aliis, aut denique prosa oratione persequi oporteret. Magistros vero ipsos interdum, exploratis discipulorum carminibus, sua recitasse; hæc autem esse maxime, quæ a discipulis cupide excepta et exemplaribus Horatii primum in separatis modo plagulis adjecta, tum margini adscripta, ad extremum Horatianis interspersa et pro Horatianis vendita sint.

Hæc omnia quamvis sint ingeniose cogitata, sunt tamen arguti artificii, quam veritatis similiora. Et tamen, ut fit, multo magis suam nobis sententiam probat Peerlkampius, quum de genere universo disserit, quam quum in singulis aut versibus aut carminibus ratione illa sua utitur. Ibi enim Horatio (cujus, quod non licuit extremam manum operibus suis admovere, vel in unum corpus colligere, alia aliis esse limatiora, quis miratur?) adeo multa censet esse indigna, ut pro certo adfirmare audeam, sæpissime Horatio ipsi, non sive librariis, sive

grammaticis vel rhetoribus exstitisse hunc Aristarchum. Hoc iis locis maxime cernitur, ubi explicandi aliqua visa est difficultas, quam PEERLKAMPIUS quasi dedita opera augere conatus est, non minuere, scilicet ut videretur sæpius ad scalpellum ipsius esse confugiendum. Quod num recte judicem, an secus, mox adparebit, quum uno alterove exemplo monstravero, quid in Horatio effecerit PEERLKAMPIUS, quod effici non opus fuerit.

Ex primo igitur primi libri carmine septem versus ejicit vel ejiciendos censet, unum transponendum, illos literis currentibus, quæ dicuntur, significans. Ut vero, quibus ipsum adeundi facultas non erit, sine negotio eluceat, et quæ rejecta sint et quomodo, quæ relicta, inter se conspirent et quasi coalescant, totum carmen ex ipsius recensione placet hic proponere et tum demum rationes argumentaque examinare:

Carmen I.

Mæcenas atavis edite regibus,
O et præsidium et dulce decus meum!
Sunt, quos curriculo pulverem Olympium
Collegisse juvat; metaque fervidis
Evitata rotis, palmaque nobilis
Terrarum dominos evehit ad Deos.
Hunc, si mobilium turba Quiritium
Certat tergeminis tollere honoribus:
Illum, si proprio condidit horreo
Quidquid de Libycis verritur areis:
Gaudentem patrios findere sarculo
Agros, Attalicis conditionibus
Numquam demoveas, ut trabe Cypria
Myrtoum pavidus nauta secet mare.

Luctantem Icariis fluctibus Africum
Mercator metuens, otium et oppidi
Laudat rura sui: mox reficit rates
Quassas, indocilis pauperiem pati.
Est, qui nec veteris pocula Massici,
Nec partem solido demere de die
Spernit; nunc, viridi membra sub arbuto
Stratus, nunc ad aquæ lene caput sacræ.
Multos castra juvant, et lituo tubæ
Permixtus sonitus, bellaque matribus
Detestata. Manet sub Jove frigido
Venator, teneræ conjugis immemor,
Seu visa est catulis cerva fidelibus,
Seu rupit teretes Marsus aper plagas.
Me doctarum hederæ præmia frontium
Dis miscent superis. Me gelidum nemus
Nympharumque leves cum Satyris chori
Secernunt populo: si neque tibias
Euterpe cohibet, nec Polyhymnia
Lesboum refugit tendere barbiton.
Quod si me lyricis vatibus inseres
Sublimi feriam sidera vertice.

De his, quæ currere quodammodo et exsulare vult PEERLKAMPIUS, quod disputat vir sagacissimus, quam brevissime potero, comprehendam. Primum omnium v. 3 *curriculo* ambigue dictum censet, quod intelligi possit et *currus* et *stadium*. Tum reprehendit, quod hoc unum exemplum, non, ut reliqua, ex Romanæ vitæ consuetudine, sed ex more Græcorum petitum sit. Deinde *juvat* et paulo post (v. 19) *multos castra juvant* i. e. quod in eadem re idem repetitur vocabu-

lum, non putat elegantis poëtæ esse. Porro *meta evitata rotis* ei non videtur accurate rei veritatem ostendere, id enim, in quo tota res verteretur, ut metam, quam proxime fieri posset, circumageret auriga, et tamen eam non tangeret, nemini Romanorum ita simpliciter dictum esse *evitare*, sed *stringere, radere, terere, premere, urguere.* Deinceps pro *palma* mavult *coronam oleaginam*, proprium Græcis munus. Denique, quum de quotidianis hominum studiis loquatur Horatius, vix posse Horatio tribui, sed aliunde insertam esse omnem illam mentionem ludorum Olympiacorum, qui quinto quoque anno (quarto dicendum erat) celebrarentur. — Jam vero tempus est Horatium defendere, qui *curriculo* ita utens non modo vim vocabulo ex *curru* derivato propriam suo jure vindicavit, sed etiam, quæ post ipsum, atque haud scio an ipso auctore, vulgaris esse coepit. Sumsit sibi hoc jus aliquoties, ut aut vocabula a nullo scriptore Latino usurpata aut alia significatione, quam qua præter eum quisquam, adhiberet. Utrumque sibi licere et ad locupletandam linguam latinam pertinere arbitrabatur, quod intelligi potest ex Ep. ad Pis. v. 46—59. Cetera ut taceam, quæ sunt aut *nova fictaque nuper* aut ab ipso reficta *notaque præsenti signata,* in uno vocabulo *redonandi,* quod bis apud Horatium, præterea nusquam legitur, utrumque factum est, quum et Carm. II. 7. 3 novum est vocabulum et Carm. III. 3. 33 non novum illud quidem, sed ad novam significationem translatum. Qui vero a suo usu recedat, is aliorum vereatur? non potius ipse usum suo arbitrio fingere audeat? Et vero, si verum quod est fateri volumus, quis de *curriculo,* quid sit, dubitabit, quum mox de *meta fervidis rotis evitata* agitur, in qua dictione mentio *rotarum,* quas ad *curriculum* referendas esse, nemo non videt, omnem tollit ambiguitatem. — Quod vero tum reprehendit mixta ea, quæ moris Romanorum et quæ Græcorum essent, eodem modo commixti sunt (Sat. II. 2. 9—13 ludi Græci et Romani. Si quis vero objecerit, ibi transitum ab

uno ad alterum esse quodammodo excusatum eo ipso, quod significatus sit:

— — *si Romana fatigat*
Militia assuetum græcari — — —

facile sibi quisque persuadet, non id secutum esse Horatium, ut excusaretur ille transitus, sed morum diversitatem cum aliqua Græcorum, qui eo tempore erant, despicatione notare voluisse. *Juvat* et *juvant* ita tandem culpari poterant, si nullo aut soni aut collocationis discrimine repetitum esset vocabulum et si minore quam hoc duodeviginti versuum intervallo hoc ab illo distaret. — De meta rotis *evitata* vix est, quod iterum moneam, quum quid sit insolentius dictum, non continuo esse, præsertim in poëta quidlibet audendi et nonnihil inveniendi jus sibi sumente, vituperandum, aut propter nescio quam indignitatem ipsi abjudicandum. Ad id vero mihi animum advertas, velim, ex illis, quæ maluit Peerlkampius, i. e. *stricta* vel *rasa* vel *trita* vel *pressa*, nullum prorsus huic loco aptum futurum fuisse, quum eorum quodvis metam rotis, quamvis leviter, attactam, quod magnum erat periculum et magnopere cavendum, significaret. *Evitata* autem, quod est: tam parvo intervallo, ut tantum non tangatur, a rotis distans meta, quæ summa erat agentis aurigæ laus, multo sane aptius dicitur; nisi quis forte velit Peerlkampium audire ita cavillantem: *et illi metam evitant, qui currum longo a meta intervallo circumagunt et in certamine vincuntur.* Hæc autem omnia si immerito sunt a Peerlkampio vituperata, multo tamen est injustior, quum vocabulum *palmæ* sibi placere negat. Quasi vero non constet, tum Horatium ipsum loco extra dubitationem posito *palmam* eodem modo cum ladis Olympiacis composuisse præmiumque victoris magis, quam victoriam, intellexisse, qui locus est Ep. I. 1. 49—51:

Quis circum pagos et circum compita pugnax

Magna coronari contemnat OLYMPIA, *cui spes*
Cui sit conditio dulcis sine pulvere PALMÆ

tum Pausaniam, testem locupletissimum, affirmare, victorum Olympiacorum et capitibus *coronas oleaginas* imponi solitas, et *palmam* manu portandam alterum victoriæ præmium datum. — Quod denique non probat quotidiana studia cum illis, quæ non nisi per intervalla fieri possent, componi, in hoc ipso omnis est PEERLKAMPII error, quod parum animadvertit, non de quibusdam vel agendi vel exercendi et ludendi generibus sermonem esse, sed de agendi ludendique cupiditate, quæ multo ante poterat haberi. Neque enim *collegisse juvat* necessario intelligenda est rei perfectæ aliqua jucunditas, estque ea quasi festinatio quædam spei atque desiderii, perfectionem eorum, quæ nondum inchoata sunt, anticipantis. Sic Carm. II. 4. 52.

Fratresque tendentes opaco
Pelion IMPOSUISSE *Olympo*

tendentes imposuisse est *conantes imponere* adjecta aliqua significatione desiderii non in ipso conatu subsistentis, sed ad rem perfectam properantis. Itaque *collegisse juvat* nihil habet nisi in cogitatione cupientis perfectum; et proxime accedit ad id, quod Suecano usui accommodatius dicendum erat: *colligere juvat.* Hoc vero si jam probatum est, existimanda est *meta rotis evitata* primum nihil differre ab eo, quod active dici potuerat *metam rotis evitasse;* tum intelligendum est hoc, addita illa festinantis desiderii accessione, *metam rotis evitare.* Nihil aliud esse ab Horatio dictum, facile sibi persuadebit, qui meminerit, non eam summam esse voluptatem, quum quis sit honorem aliquem adeptus, multoque plus habere jucunditatis, quæ etiamnunc exspectentur, quam quibus potitus sis. Quamobrem totum hunc locum sic expono: *nonnulli summam jucunditatem se capturos arbitrantur et hac ipsa cogitatione futuræ jucunditatis maximopere delectantur ad Deorumque felicitatem sibi proxime accessuri videntur, si con-*